

est. De fruitione autem nulla est difficultas, quod si Deus est finis ultimus, illo fruendum est, sed difficultas est quomodo Deus assequibilis sit; ergo valde diminuta esset Scriptura non explicando nobis quomodo assequibilis sit beatitudo, quam nobis maxime nititur manifestare, scilicet ipse Deus, cum de hoc potissima esse posset difficultas apud negantes Deum esse beatitudinem, quia modum assequibilitatis ejus non plane attingunt. Et dicere, quod esset fruibilis, non dicendo quomodo esset assequibilis, aut intendendo, quod ipsa fruitio esset assecutio, erat magis complicatorium, et difficile, cum philosophi communiter intelligant fruitionem, et gaudium supponere consecutum objectum gaudii, non consequi, ut jam amplius explicabitur.

FUNDAMENTALIS RATIO.

XXXIV. Fundamentum autem nostræ conclusionis ad unicam Divi Thomæ rationem reducitur, et formatur in hunc modum: Beatitudo essentialiter sumpta est consecutio finis ultimi (id est adeptio illius, per quam sit adipiscentis ut proprium ejus) sed consecutio finis ultimi non est actus voluntatis: ergo neque ipsa beatitudo formalis est actus voluntatis. Consequentia est legitima: major a nemine negatur, quia hoc est principium in hac controversia ab omnibus præsuppositum, quod formalis beatitudo essentialiter est ipsa adeptio finis beatificantis. Nam in quocumque fine, finis quo, est ipsa adeptio, et consecutio finis; sed beatitudo formalis est finis quo beatificans, sicut finis qui est ipsum objectum beatificans, scilicet Deus, finis enim formalis

distinguitur contra finem objectivum, sicut adeptio finis, et objectum adeptum, et sic idem est finis formalis, et finis quo, finis autem objectivus est finis qui: ergo beatitudo formalis est ipsa consecutio beatitudinis objectivæ, quæ est Deus. In illo ergo actu ponenda est formalis beatitudo, quæ est consecutio Dei, et adeptio finis.

XXXV. Tota difficultas est in probatione minoris. Quam hoc modo probat D. Thomas: Omnis actus voluntatis, aut fertur in finem præsentem, aut in absentem. Si in absentem, sicut est desiderium, constat, quod non potest esse ipsa consecutio finis, cum sit motus ad finem consequendum, et feratur in ipsum ut absentem: ergo non ut consecutum, sed ut consequendum: ergo talis actus non est ipsa formalis consecutio finis. Si fertur in finem præsentem, sicut delectatio, quæ advenit voluntati ex hoc quod finis est præsens; ergo ipsa delectatio non est consecutio finis, quia non facit finem præsentem, et consecutum, sed ex præsentem fine consequitur. Nec enim ex eo quod aliquis delectatur intra se de aliqua re, consequitur eam, sed oportet quod per aliquid aliud consequatur, et de tali re consecuta sequetur delectatio; sed tunc jam illa non est consecutio, et adeptio finis, sed adeptionem consequitur: sicut avarus non ex eo quod delectatur intra se de pecunia, adipiscitur illam, sed postquam manu, vel apprehensione corporali illam tenet, delectatur de ipsa adeptâ. Et sic nunquam delectatio est formalis consecutio, sed vel antecedens, vel consequens assecutionem.

XXXVI. Hæc ratio D. Thomæ et probatio hujus minoris pati videtur plures instantias, ex quarum solutione constabit efficacia probationis hujus. Et in primis ad hominem

contra ipsum D. Thomam sumitur instantia; quia tentio, seu comprehensio finis ultimi ponitur expresse a D. Thoma pertinere ad voluntatem, et correspondere spei, sicut visio fidei, et gaudium charitati, ut patet in hac quæstione iv, articul. ii ad secundum; dicit enim, quod sicut ad voluntatem pertinet spes, et amor, ita etiam ad voluntatem pertinet comprehensio, et delectatio, quia ejusdem est habere aliquid, et quiescere in illo. Et idem docet in additionibus, quæstion. xcv, articul. v, præsertim ad tertium ubi dicit: « Quod comprehensio non importat habitum distinctum a dilectione, et visione; » et solutione ad secundum dicit: « Quod fruitio secundum quod includit comprehensionem, succedet spei. » Ergo secundum D. Thomam comprehensio finis, quæ nihil aliud est quam tentio, et assecutio finis, et illius conjunctio ad nos, ut docet citatis locis, et præsertim quæstione quarta citata, articul. i ad primum, ubi dicit: « Quod comprehensio nihil aliud nominat, quam tentionem alicujus rei, » non est sola visio, sed ad voluntatem pertinet. Et sic contradicit sibi, dum ponit consistere assecutionem finis in actu visionis, et tentionem in actu voluntatis.

XXXVII. Deinde ostenditur diminutam esse rationem D. Thomæ in duobus. Primo, quia præter actum desiderii, qui est circa rem absentem, et præter actum delectationis, qui est circa præsentem, et conjunctam, restat alius actus voluntatis, scilicet amor amicitiae, qui potest conjungere sibi ipsum finem quando finis non est res corporalis, quæ instrumento indiget corporali ut apprehendatur, et conjuncta fiat, neque est res absens, et distans, sed intima sicut est Deus, tunc enim ipso amore amicitiae quasi transfunditur in amantem; amicus enim est alter ego, et

ipso affectu redditur objectum beatificum quasi proprium, et possessum. Ergo non infert efficaciter D. Thomas ex negatione actus desiderii, et actus gaudii, nullum actum dari in voluntate, qui possit esse tentio, et assecutio rei amatae, et objecti beatifici; præsertim supponendo in objecto tales condiciones, quales habet Deus, scilicet, quod neque sit longe ab unoquoque nostrum, neque corporali indigeat instrumento ut teneatur, sed spirituali actu teneri possit: nec est cur ista tentio denegetur amori, licet supponere debeat visionem ea generali ratione, qua actus voluntatis supponit actum intellectus, non tamen ea speciali vi, ut sit tentio possessiva objecti, cum hoc potius ipsi voluntati maxime conveniat, quia maxime unitiva, et adhæsiva est, et amor unio est. Et confirmatur, quia licet Deus sit sibi intimus, et præsens, tamen non solum habet actum gaudii erga se, sed etiam actum amoris virtualiter distinctum a gaudio, ut nos docuimus ii tom. i part. circa quæstionem xix, eo quod prius est objectum per complacentiam esse conjunctum amanti, et deinde de illo sic conjuncto gaudere, et frui. Ergo juxta hanc doctrinam non pertinet ad voluntatem solum frui, aut desiderare, sed etiam objectum ipsum sibi conjungere, et consequi, et sic non pertinet ad solum intellectum illud consequi, sed etiam voluntas habet actum consecutivum. Deficit ergo ex hac parte ratio Sancti Thomæ.

XXXVIII. Secundo deficit ex eo, quod dato quod esset medium inter actum voluntatis de re absenti ut desiderium, et de re præsentem ut gaudium, adhuc non probat intentum D. Thomæ, quia non apparet repugnantia, quod possit dari actus gaudii, qui sit de re præsentem et consecuta per ipsummet gaudium, non vero per alium

actum intellectus præsuppositum. Licet enim non omne gaudium, nec omnis finitio sit consecutio objecti, tamen non repugnat, quod aliquis actus voluntatis sit simul amor consecutivus, et fruitivus, nempe quando res quæ fruenda est, supponitur intime præsens, et solum deest cognitio clara, ut intime eam per fruitionem attingat, et possideat, sicut homo non fruitur modo anima sua pro hac vita, quia non videt eam. Cum autem separata fuerit, videbit eam clare in se, et fruetur, ac possidebit ejus pulchritudinem, et dona gratiæ, quæ in ea fuerint, nec alio actu possidere indigebit nisi fruitione sui. Sic Deus cum sit intimus per immensitatem, hoc ipso quod videatur in se, per ipsam fruitionem possidebit illum anima, nec repugnat quod ipse actus sit fruitio, et consecutio.

XXXIX. Aliæ rationes accumulatur non tam ad enervandam rationem D. Thomæ, quam ad confirmandam sententiam oppositam, quæ deducuntur ex majori perfectione actus voluntatis super actum intellectus, beatitudo autem debet consistere in perfectissimo actu, et similiter ex eo, quod finis est objectum proprium voluntatis cum sit bonum, et sic ad eam pertinet assecutio illius, cum sit ei propinquior: et ex aliis rationibus, de quibus postea in solutione argumentorum. Hæc enim magis ab extrinseco procedunt, cum propria, et intima quidditas constituendi beatitudinem formalem ex ipsa ratione assecutionis, et adeptionis objecti beatifici petenda sit, et in hoc insistit vis rationis D. Thomæ.

XL. Quare dicendum est, his omnibus non obstantibus, rationem D. Thomæ efficacem esse, nec in aliquo diminutam. Et quod attinet ad id quod objicitur de comprehensione, sine dubio ipse D. Thomas se ex-

plicat in eadem quæstione quarta, articulo III ad tertium, ubi definiens quid sit ista comprehensio, quam dixerat solutione præcedenti ad secundum pertinere ad voluntatem, sic ait: « Ad tertium dicendum, quod comprehensio non est aliqua operatio præter visionem; sed quædam habitudo ad finem jam habitum: unde etiam ipsa visio, vel res visa, quæ præsentialiter adest, objectum comprehensionis est. » Itaque comprehensio dupliciter sumi potest. Primo, pro ipsa substantiali, et essentiali apprehensione, qua res aliqua capitur et tenetur. Secundo, pro perfectione consecuta ad essentialem apprehensionem, quatenus re jam habita aliquis utitur, aut fruitur tamquam sua, eique adhæret, et in ea complacet. Prima comprehensio est ipsa operatio visionis, qua res intelligibilis primo capitur, et possidetur, quod constituit essentialiter ipsam tentionem, et possessionem rei. Secundo modo pertinet comprehensio ad voluntatem, et ad fruitionem ipsam. Fruitio enim patris, ut inquit D. Thomas in quarto, distincto XLIX, quæstion. IV, articulo V: « Includit in se dilectionem, et comprehensionem, id est, complexum quemdam voluntatis complacentis in re illa. » Sed iste complexus non est ipsa prima et essentialis tentionis, seu adeptio finis, sed perfectio superaddita, ideoque bene dicitur a D. Thoma: « Quod non est operatio præter visionem, sed quædam habitudo ad finem habitum: » quia videlicet voluntas per fruitionem circa finem habitum, et adeptum quiescit, perficiendo apprehensionem, non primo et essentialiter constituendo. Et ita ipse D. Thomas in quinto, distincto XLIX, quæstion. I, articulo I, quæstionum II ad quintum dicit: « Quod per affectum homo perfectius jungitur Deo, quam per intellectum, in quan-

tum conjunctio, quæ est per affectum supervenit perfectæ conjunctioni, quæ est per intellectum perficiens, et decorans eam. » Quare D. Thomas secundum hanc duplicem acceptionem comprehensionis, scilicet comprehensionis intellectivæ, seu visivæ, quæ est essentialis comprehensio seu adeptio, et comprehensionis affectivæ, quæ est perfectio superveniens adeptioni, utrumque componit, et quod comprehensio pertineat ad voluntatem ratione secundæ acceptionis; et quod non sit alia operatio præter visionem ratione primæ, sed addat habitudinem ad finem habitum, id est, adeptum per intellectum, quatenus addit in ipsa fruitione quietationem in fine adepto, quæ est velut quædam amplexus, et comprehensio affectiva, et est etiam tentionis finis, sed non prima, et essentialis ipsa adeptio, quia hæc fit per intellectum, sed hanc supponens, et super eam addens, eamque perficiens. Et sic ista comprehensio, ut ex parte voluntatis se tenet, pertinet ad dotem animæ; ut ex parte visionis se habet, pertinet ad essentialem adeptionem finis. Cur autem istam tentionem ex parte voluntatis D. Thomas non dicat esse operationem, cum videatur esse fruitio, sed quod addit beatitudinem, est, quia consideravit illam in ratione dotis animæ, sub qua formalitate non esse operationem ostendemus infra articulo octavo.

XLI. Ad primam instantiam respondetur consequentiam D. Thomæ esse efficacem, non obstante quod addatur aliquis amor præter desiderium, et delectationem, et quod Deus sit spiritualis, et immensus, nec indigeat corporali instrumento ut apprehendatur, et quod amor sit unitivus affective ipsi rei amatæ. Non obstantibus his conditionibus, adhuc est efficax consequentia D. Tho-

mæ. Et ad id, quod dicitur de amore amicitiae, seu quolibet alio præter desiderium, et delectationem, dicimus dari quidem talem amorem præter gaudium, et desiderium, sed illum non posse ex sua specie, et propria ratione esse assecutionem finis, quia indifferentem, et communiter se habet ad rem præsentem, vel absentem, et æque salvatur in uno, atque in altero, ut patet in amore charitatis, qui est amor amicitiae, et invenitur tam in via, quam in patria; tam circa præsentem, quam absentem. Qua ratione ipsemet D. Thomas in tertio contragentiles, cap. XXVI, ratione V, distinxit triplicem actum voluntatis, desiderium, gaudium, et amorem, et exclusit amorem, quia communiter, et indifferentem se habet ad rem habitam, et non habitam. Imo in hac ipsa quæstione tertia, articulo IV, non prætermisit illum, sed indicavit, dum inquit: « Quod si consequi pecuniam esset per actum voluntatis, statim a principio cupidus consecutus esset pecuniam, quando vult habere illam. » Talis enim actus volendi habere pecuniam, amor communis est, qui non sufficit de se esse adeptio objecti, nec ratione sui, ut talis actus est potest esse consecutio finis, sed si id habet, erit ratione alterius actus adjuncti, vel alterius rationis novæ, præter ipsam rationem amoris amicitiae. Quare perperam, et extra rem adducitur amor amicitiae, ut quid medium inter desiderium, et gaudium, si in eo, quod est amor amicitiae, non importat rationem per se, et formaliter assecutivam finis. Solum enim numerari debent actus voluntatis habentes aliquid pertinens, et conducens ad consecutionem finis. Si ergo non conducit per se amor amicitiae ad talem consecutionem, quia ex specie, et ratione sua æque bene compatitur cum fine consecuto, et non

consecuto, ut patet in amore charitatis, qui invenitur tam in patria, quam in via, non oportuit meminisse illius in hac ratione, et tamen D. Thomas adhuc non omisit illum, expressius tamen exclusit in tertio contra gentiles citato.

XLII. Quare pro efficacia rationis D. Thomæ redeundum necessario est ad illos actus, qui possunt habere ex se, et ex propria natura modum seu formalitatem consequendi finem, nempe quia reddunt finem ipsum præsentem, et conjunctum ipsi assequenti, et quasi proprium illius. Cum autem actus voluntatis non solum versari possint circa finem præsentem, sed etiam absentem, oportet quod actus voluntatis, si sit adeptio beatitudinis, respiciat objectum præsens, non absens, quia prout absens non beatificat. Et sic si est actus amoris amicitiae, non erit amicitia prout abstrahit ab amico præsentem, vel absentem, (quod nec etiam Scotus affirmare potuit) sed solum, ut determinate est circa præsentem. Non potest autem respicere objectum præsens, nisi dupliciter, vel supponendo præsens, et attactum per aliam potentiam: vel formaliter præsens, et adeptum reddendo. Nec debuit D. Thomas alios actus voluntatis numerare, nisi qui finem præsentem attingerent, quia solum agitur de actu consequente beatitudinem, et consequenter præsentem respiciente; reliqui autem actus, qui hanc formalitatem præsentiae, et assecutionis non respiciunt, aut ab illa abstrahunt, impertinens erat numerare, cum ad rationem assecutionis non spectent. Si ergo voluntas attingat objectum aliquod præsens et adeptum, quia supponitur adeptum per aliam potentiam, et super illo sic adepto quiescit, talis actus non est essentialiter, et per se adeptio objecti, et consequenter neque formalis beati-

tudo, quia hæc est ipsa prima et substantialis consecutio objecti beatifici. Si vero voluntas attingat objectum adipiscendo illud et faciendo præsens, in primis assignetur actus voluntatis, qui id per se, et essentialiter faciat. Non amor amicitiae ex specie sua, quia iste abstrahit de se a præsentem, et absentem. Non desiderium, quia movetur ad assequendum, et sic est de re absentem, non ipsa assecutio rei. Non delectatio, vel fruitio, quam etiam excludit Scotus, quia est quies de re assecuta, et sic supponit adeptionem rei. Et manifeste experimur, nos delectari, et quiescere in objectis, per aliam potentiam adeptis, et consecutis, ut in his quæ per tactum, aut visum, vel odoratum attingimus, delectamur; ergo non est iste actus ipsa assecutio, si quidem datur delectatio, et gaudium de re assecuta, vel exercita per aliam potentiam: de se ergo non est formalis, et essentialis assecutio ipsa delectatio, ut patet in objectis assequibilibus per alias potentias, ut per tactum, aut visum. Si ergo Deus sit etiam attingibilis, et adipiscibilis alia potentia, quam voluntatis; delectatio vel quilibet actus, qui respicit Deum ut præsentem, non erit formaliter, et per se assecutio ejus, sed supponet assecutionem. Constat autem Deum etiam intellectione tangi, et videri; nec enim fit cognitio ejus nisi per intimam unionem cum potentia. Et ipsa natura intellectualis est in potentia, ut actuetur per hoc intelligibile, quod est Deus tamquam per summum et perfectissimum intelligibile. Sicut ergo voluntas in aliis intelligibilibus objectis delectatur, non assequendo talia objecta per ipsam delectationem formaliter, sed per intellectum; ita delectabitur de hoc maxime intelligibili objecto, non assequendo ipsum per delectationem formaliter, sed per intellec-

tum, et de illo per intellectum assecuto, erit gaudium.

XLIII. Et totam hanc doctrinam expressit D. Thomas tum in quarto, distinct. XLIX, quæstion. I, articulo I, quæstiunc. II; tum in quarto, ad Anibaldum, distinct. XLIX, quæstione unica, articulo II. In priori loco sic inquit: « Non potest dici, quod assecutio finis exterioris sit per actum voluntatis immediate: intelligitur enim esse actus voluntatis ante assecutionem finis, ut motus quidam in finem, post assecutionem vero ut quietatio quædam in fine. Non potest autem esse, quod voluntas nunc quietetur in fine in quem prius tendebat, nisi quia voluntas alio modo se habet ad finem, quam prius, vel e converso. Illud ergo quod facit voluntatem hoc modo se habere ad finem, ut voluntas quietetur in ipso, est ultimus finis interior, qui primo conjungit exteriori fini. Cum ergo ultimus finis quasi exterior, (id est beatitudo objectiva) voluntatis humanæ sit Deus, non potest esse, quod aliquis actus voluntatis sit interior finis, sed ille actus erit ultimus finis interior, quo primo hoc modo se habebit ad Deum, ut voluntas quietetur in ipsum: hæc autem est visio Dei secundum intellectum; quia per hanc fit quasi quidam contactus Dei ad intellectum, cum omne cognitum sit in cognoscente secundum quod agnoscitur. Sicut etiam corporalis tactus ad delectabile corporeum inducit quietationem affectus, et ideo ultimus finis hominis est in actu intellectus. »

XLIV. Posteriori autem loco sic dicit: « Cujuslibet existentis in potentia finis est, ut reducat in actum. Ipse autem ordo, vel habitudo rei ad actum suum, vel habitum, vel non habitum, etsi quæ proprietates ex actu consequuntur, non sunt finis, sed concomitantur finem, et ipsum quodammodo perficiunt et de-

corant. Anima autem nostra est in potentia ad omnia secundum intellectum, quia intellectus est potentia ipsa intelligibilis: unde ultimus finis ejus est, ut reducat in actum omnium intelligibilium. Hoc autem fit per Dei visionem in qua ipse Deus, qui est actus omnium unitor quodammodo intellectui, ut intelligibilis, et fit actus ejus quodammodo. »

XLV. Quare ratio D. Thomæ solida stat, quod non potest assignari actus voluntatis, qui habeat hanc perfectionem assequendi primo et per se ipsum finem, seu bonum, quo frui debet. Quia si voluntas fertur circa rem præsentem amando ipsam, vel quiescendo in ipsa, semper supponit aliquid prius, et antecedens voluntatem, quo talis res fit præsens, seu conjuncta, et attacta ab ipso subjecto assequente finem, ut si sit res intelligibilis per intellectum conjungitur: si sit sensibilis per aliquem sensum, verbi gratia per tactum, aut gustum: si sit insensibilis, per aliquam in distantiam, vel informationem, aut locationem, sicut lapis acquirit finem suum, qui est esse in centro, per hoc quod in tali loco ponatur. Quare appetitus ipse, ut appetitus est, nunquam est id quo assecutio finis primo et per se fit effective, sed solum affective, et sic semper præsupponi debet conjunctio rei, et assecutio facta per aliam potentiam: quia cum appetitus non immediate tangat, et trahat res ipsas ad se, sed solum per affectum illas tangat, assecutio rei sit per possessionem, et adeptionem in effectu, requiritur semper aliquid præter appetitum, quod in effectu tangat, et assequatur rem ipsam. Et cum aliquando appetitus moveatur in rem non habitam, et possessam, non potest tendere in rem ut possessam, nisi ipsa voluntas aliter se habeat, et sentiat aliter sibi proponi, et

adaptari objectum, quam ante. Illa autem immutatio non potest primo, et per se provenire a voluntate, quia voluntas non regulatur, nec mutatur, nisi juxta apprehensionem, et propositionem objecti. Unde non potest ipsa sibi facere objectum præsens, et adeptum per intellectum. Nec intellectus potest vere ut præsens, et adeptum proponere, nisi ita sit in re.

XLVI. Voluntas ergo non facit objectum præsens, si alias ex se non sit præsens, sed præsuppositivè, et antecedenter debet ejus præsentia supponi, ut attingatur a voluntate. Ubi ergo incipit adeptio objecti beatifici, ibi incipit substantialiter, et essentialiter beatitudo; quidquid vero postea supervenit, non essentialiter adeptio est, sed complementum, et perfectio. Non est autem unde incipiat adeptio beatitudinis, nisi a visione, et intellectione; quia cum sit objectum intelligibile, et spirituale, non habet aliam operationem, qua tangi possit, nisi intellectum et voluntatem. Debet autem tangi aliqua operatione, non illapsu, vel unione in ipsam substantiam animæ, quæ nullo modo datur, (ut jam supra exclusimus.) Et ex ipsamet exigentia beatificationis animæ deducitur, quia cum sit in potentia intelligibilis, oportet quod reducatur in actum per unionem, et contactum ad ipsum summum, et primum intelligibile, quod est Deus, ubi continetur omnis perfectio intelligibilitatis, ut ex D. Thoma supra ponderatum est. In ipsa ergo actuacione intellectus ad tale intelligibile incipit adeptio, et assecutio hujus finis.

XLVII. Ex his autem liquido manent solutæ omnes instantiæ adductæ contra rationem D. Thomæ. Nam fatemur dari amorem, sive amicitiam, sive simplicis complacentiam, aut concupiscentiam, præter deside-

rium et gaudium, ut etiam D. Thomas agnovit loco supra citato ex tertio contra gentiles. Negamus tamen hunc amorem, qualiscumque ille sit, importare assecutionem objecti primo et per se, et essentialiter, nisi supponat alium actum alterius potentiam, quo res fiat adepta, et assecuta (ut ostensum est.) Et multo minus desiderium, aut gaudium, seu delectationem esse adeptionem primo, et essentialiter ipsius objecti (ut etiam ostensum est.) Et cum dicitur, quod amor amicitiam potest contingere, seu assequi ipsum finem, quando finis non est res corporea, neque absens, et distans, sicut Deus, sed tunc ipso amore amicitiam transfunditur in amantem et fit quasi alter amicus, et reddit ipsum sibi proprium, et suum.

XLVIII. Respondetur rem esse notissimam, quod amor sive amicitiam, sive concupiscentiam, sive sit per modum simplicis complacentiam, sive per modum efficacis intentionis, non potest ex specie sua adipisci, et consequi realiter, et in effectu objectum suum, quia amor solum unit sibi objectum affectivè, non effectivè, sed solum movet ad quærendam adeptionem realem rei amata: constat enim inveniri, et salvari veram amicitiam, et amorem erga rem absentem, etiam si alias spiritualis, et indistans a nobis sit, ut charitas viæ, quæ versatur erga Deum non adipiscendo ipsum, et tamen non longe est ab unoquoque nostrum. Ergo vera et propria amicitia ex specie sua non est adeptio. Si ergo adipiscitur in alia vita, ex aliquo sibi adjecto præter rationem amoris, et amicitiam, habet adipisci. Et illud quid est? Nam si est aliquid ad voluntatem spectans, eadem difficultas de illo curret, quomodo possit rem aliquam, quæ non erat adepta et assecuta, reddere adeptam et præsentem realiter, et in effectu, et

non tantum in affectu, per se et formaliter? Nec enim id facere potest amor amicitiam intra speciem amicitiam, per hoc quod sit perfectior intensivè, vel extensivè, cum totum hoc possit habere amor in via sine adeptione objecti: nec per hoc quod ultra amorem amicitiam habeat rationem gaudii, et delectationis, quia delectatio est de re jam adepta, et sic oportet explicare, quid sit illud quod formaliter est adeptio. Nec potest distingui inter fruitionem, et delectationem, quasi fruitio sit essentialiter assecutio beatitudinis, non delectatio. Etenim fruitio est quies voluntatis, et gaudium de re assecuta, quod utique delectatio quædam est in voluntate: idem est ergo dicere delectationem de re possessa, et fruitionem in voluntate. Et si illa adeptio non est aliquid pertinens ad voluntatem, oportet recurrere ad visionem et illa substantialiter, et essentialiter erit adeptio, licet perficiatur, et compleatur actu voluntatis, vel delectatione. Nec voluntati convenit quod sit unio effectiva, et adepta rei, sed effectiva. Unde per hoc præcise, quod sit amor, non intelligitur unio objecti, qualis requiritur ad assecutionem, et adeptionem realem finis effectivam.

XLIX. Et ad confirmationem allatam in hac prima instantia respondetur verum esse quod in Deo datur proprius, et strictus amor præter gaudium, qui respicit bonitatem objecti, ex cujus complacentia sequitur gaudium, et ita causaliter ille amor est gaudium, non formaliter. Cæterum ex hoc quod detur amor stricte dictus, distinctus a gaudio tam in nobis, quam in Deo, non sequitur quod ille amor sit consecutivus objecti, quia ille amor formaliter non respicit præsentiam objecti, aut ejus adeptionem, et realem unionem, sed ipsam bonitatem secundum se. Non est autem difficul-

tas in præsentem, quod detur alius actus amoris præter gaudium, sed antalis amor sit realis consecutio objecti, et adeptio finis, hoc enim essentialiter constituit rationem beatitudinis. Et hoc non assignant unquam auctores oppositi, quomodo amor sit consecutio, seu adeptio finis, et sub qua formalitate, vel ratione. Et sic non deficit ratio D. Thomæ, sed deficiunt auctores oppositi in assignando actu amoris, qui formaliter sit consecutio, cum ex specie sua nullus actus amoris id habeat, nec ex aliqua ratione superaddita, quæ non explicatur quid sit.

L. Nec obstat responsio Scoti distinctione XLIX citata, quæstione quinta, quod amor ille, quem vocat amicitiam, aut quicumque alius sit, præter desiderium, et gaudium, ex sua quidem specie præcise sumpta, non est adeptio, et assecutio finis, cum ante visionem finis dari possit; sed est aliqua perfectio, aut gradus amoris ex visione consecutus, quo redditur adeptus finis, et sine tali perfectione superaddita non est adeptio. Vel secundo dicit, quod ille amor amicitiam secutus post visionem, est alterius speciei ab amore, qui est ante visionem, et sic licet amor charitatis in via non sit adeptio, et assecutio finis, bene tamen amor in patria, qui regulatur per visionem. Vel tertio dicit, quod tam visio, quam amor sunt assecutio objecti; sed visio ut prior ordine generationis, et prævia ad assecutionem amoris; amor autem ut posterior, et consequenter perfectior, quam visio: debet autem beatitudo formaliter et essentialiter consistere in assecutione perfectissima.

LI. Sed nihil elevat istæ solutiones rationem D. Thomæ. Non prima (cui etiam non fidit Scotus) quia ista major amoris perfectio, et gradus solum potest esse aliquid pertinens ad accidentalem statum amo-